



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

affectibus ; dubia verò & difficultates , quæ circa ea , quæ diximus jam , moveri possent, deinceps resolvemus.

## CAPUT IX.

*De Affectibus.*

**S**uperius diximus , omnem orationis fructum consistere in affectibus , illosque esse scopum, ad quem nostra omnis contendere debet meditatio. Parum enim nobis serviet, si de Deo ac rebus spiritualibus multas habeamus insignes cognitiones & conceptus, neque tamen cor nostrum illorum amore sit inflammatum. Et sicut parum proficeret pauperi, si ingentem aliquam videret thesaurum, neque tamen possideret : aut famelico si videret mensam opiparis instructam ferculis, neque tamen inde comederet, ita profectò parum tibi conferret emolumentum, quod oculis tui intellectus videres spirituales veritates, nisi etiam inde gustum aliquem interiorum persentisceres, & affectu ac desiderio quodam ardenti ad illas contenderes. Verùm tamen is, qui thesaurum corporeum desiderat, non propterea illum statim possidet : affectus attamen ac desiderium rerum spiritualium adeo illas nobis appropriat, ut ex illis fructum omnem desideratum percipiamus. Nihilominus invenire est quædam ingenia curiosa, quæ nunquam finem suis imponunt meditationibus, & nullum aut certè valdè exiguum tempus permittunt voluntati, ut suos illa eliciat affectus, ac propterea hujusmodi

modi homines ab oratione discedunt ita frigidum & aridi, atque ad illam sunt ingressi, quia illorum meditationes, quas convenientius quis appellaverit speculationes, lumina sunt sine calore, & omnes illorum considerationes similes sunt soli hyberno, qui illuminat, nec tamen calefacit; ex quo etiam fit, quod terra cordis eorum nullum producat fructum bonum, atque ex omnibus exercitiis illis spiritualibus, quæ faciunt, nihil reportent aliud, quam curiositatem, superbiam ac vanitatem.

Non est nobis inquirendum, inquit Gerson, in quo consistat virtus præcisè ut sciamus, verùm ut amemus illam & in praxin redigamus, atque ita re ipsa virtuosi evadamus. Considerare debemus, ut cognoscamus, at verò cognoscere non debemus, nisi ut amemus, ad exemplum Regii Vatis, qui de seipso ait: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Quamprimum igitur adverterint Fratres nostri, voluntatem suam incipere inflammari, sive per interiorem Dei attactum absque eo quod multum adhuc sint in consideratione progressi, sive beneficio considerationum, quas ei exhibuerit intellectus, cessabunt à discursu, ut illi tempus concedant sanctos affectus, quos conceperit, producendi. Cujus rei ut certam eis methodum præscribamus, dicemus primo:

*Quid sit affectus, & quomodo ille in cordibus nostris enascatur.*

**A**ffectus, de quo hic loquimur, est certa quaedam commotio cordis, sive sanctus

F qui-

*Non est  
nimium  
tribuendū  
intellectus.*

*Pf 38. v.  
4.*

*Inveni,  
quem dilig-  
git anima  
mea, tenui  
eum, nec  
dimittam.  
Cant. 3.  
v. 4.*

*Quomodo  
produca-  
tur affe-  
ctus.*

quidam ardor in anima nostra natus aut ex solo tactu ac secreta impressione gratiæ Spiritus sancti, aut ex præmissis considerationibus intellectus. Duobus enim ille modis nascitur: Primò videlicet per infusionem extraordinarii cujusdam luminis, unico momento intellectum hominis a deo illustrantis, ut rem clarius multò perspiciat, quam si duas aut tres horas continuas in meditatione insumpsisset, non secus atque ubi radius quidam solaris ingreditur per fenestram in aliquod conclave, multo amplius ipsum illuminat, quàm si plures illic accensæ forent candelæ. Hoc vero lumen, cognitio atque interior claritas procedit immediatè à Deo, qui simul voluntati imprimit fortem quidem, sed tamen suavem aliquam inclinationem ad se veritati cognitæ conformandam.

Multi hocce genus interioris commotionis experiuntur etiam priusquam sciant quid sit oratio, prout accidit non rarò quibusdam Adolescentibus sæcularibus, quibus Deus inspirat mundo valedicendi propositum, illis quandoque in suis communionibus quasi in ictu oculi omnes misérias atque omnia commonstrando pericula, quibus expositi sunt, quamdiu in mundo remanent.

Alter modus, quo producuntur affectus, est communis & ordinarius, & ex parte dependens ab humana industria, qua anima, posteaquam certæ materiæ considerandæ intendit, atque aliquam veritatem percepit, illi insistit, illam amat, desiderat, amplecti pro-

proponit, & media ad hoc propositum convenientia intendit. Id quod modo fit adeo naturali ac suavi, ut absque ulla ad ea, quæ hic præscribimus, præcepta, aut ad ullam industriam reflexione quamprimum anima percipit rem aliquam amabilem, statim ex seipsa in illam feratur amandam, aut si odio dignam perceperit, illam odisse & averfari incipiat. Adeoque applicatio intellectus nostri ad meditandum est quidem illa plena industriâ, & nostris est conjuncta laboribus; Verùm ubi quis propositam veritatem semel meditando cognoverit, sine ullo deinde labore aut industria affectu erga illam animus movetur, sicut multâ nequaquam est opus industriâ, ut ad bellam quandam imaginem aut aliam quamvis rem, quam vidimus, desiderandam, aut rem deformem nostris objectam oculis averfandam impellamur: Sufficit enim hujusmodi res videre, ut priores quidem amemus, alias verò fugiamus & aversemur.

*De differentiâ affectuum.*

**I**Nter affectus ea intercedit differentia, quod aliqui ferantur in res bonas, sanctas, ac virtuosas, ut eas desiderent; alii vero feruntur in res malas ac vitiosas, ut eas detestentur. Aliqui eorum pleni sunt ardore, alii mirâ animum suavitate afficiunt. Aliqui sunt prompti & acuti, alii tardiores sunt ac suaviores, sed tamen efficaces. Aliqui denique sunt purè spirituales, quos non

*Quomodo  
fiant affe-  
ctus sensi-  
biles.*

nisi sola degustat voluntas, alii simul spirituales sunt ac sensibiles; id quod fit, ubi passiones partis sensitivæ affectibus voluntatis conjunguntur: quod duobus contingere solet modis. Primò quando objectum sensibile est & imaginarium, tunc enim appetitus sensitivus (qui in parte inferiori correspondet imaginationi, sicut voluntas intellectui in superiori) primò commoveretur atque istâ suâ commotione non parùm juvat ad affectus voluntatis ardentiores excitandos.

Alter modus est, quando argumentum meditationis est purè spirituale, ita ut non nisi valdè parùm operetur imaginatio. Tunc enim voluntas primò sentit illas sanctas commotiones, quæ tamen nonnunquam adeò magnæ sunt, ut anima, quæ in superiori parte illis abundat, per redundantiam in inferiorem quoque partem aliquid inde transfundat. Tametsi verò omnes actus interiores perfectionem suam ac totam rationem meriti potissimum habeant à voluntate; adeoque illi non eo minus sint Deo grati, quod sint producti absque sensibilitate, imò & cum repugnantia partis ipsius inferioris: attamen gratia est singularis, quam Deus concedere solet quandoque Novitiis, ubi illis indulget gustus aliquos sensibiles, qui orationem ipsis reddunt facilitate plenam & suavitate. Illa enim interior suavitas & delectatio multum confortat proposita, quæ tunc concipiunt, actus ipsorum reddit ferventiores ac voluntarios, atque illos fortissimè inescat, ut imposterum huic divino exercitio totos se dedant.

Affe-

Affectus, quos concipimus ex consideratione boni, sunt amoris, desiderii, gaudii, spei, admirationis, laudis Dei & similes. Illi verò quos concipimus ex consideratione mali, sunt odii, horroris ac timoris, ne eveniat. aut tristitia si evenerit, & alii hujusmodi. Verùm sicut in particulari magnum intercedit discrimen inter ea, quæ intellectui suppeditant materiam meditationis, ita etiam in particulari inter affectus, quos super quamlibet materiam in singulari producere possumus, magna intercedit differentia. Quare sicut superius materias meditationis magis ordinarias ad certa reduximus capita sive considerationes, conformiter ad tres status Incipientium sive Novitiorum, Proficientium & Perfectorum, ita in posterum agemus de affectibus ex iisdem meditationibus nasci solitis, tametsi in generali possimus dicere, inter affectus pluris faciendos esse illos, qui tendunt ad praxin illius quod meditati sumus, quam quosvis alios, qui sunt quasi mediâ ex parte speculativi, atque ex quibus fructus omninò nascuntur exigui, ut sunt admirationes, exclamationes & hujusmodi.

*Ita Dominus noster Iesus Christus in spiritu gaudii sus est. ubi ait: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terre, qui abscondisti hæc à Sapientibus &c.*

*E contra in horto ad intuitum peccati tristatus est dicens: tristis est anima mea usque ad mortem.*

*De ordine, quem quis in eliciendis tenere debet affectibus.*

**Q**uoad ordinem, quem ea in re observare oportet, sequenda est directio gratiæ Spiritus sancti, ubi illam in nobis experimur, non attendendo ad statum, in quo sumus constituti. Verùm ubi Deus nostræ propriæ nos relinquit industriæ, sequendus est ordo, quem ipse

in conversione servat animarum, atque illarum ad perfectionem conductione.

Ordo autem ille talis est, quod ubi aliquem ex abyſſo peccatorum decrevit educere, primò illum statim terret, imprimens illi fortem ac vivam apprehensionem suorum judiciorum, illi miserabilem suum statum ostendens simul ac rigorem & severitatem suæ justitiæ, ex quo in illo nascuntur desideria verè & efficaciter se convertendi.

*Affectus  
proprii  
status in-  
cipientium.*

Deinde paulatim crassas intellectus illius tenebras dissipans, illi distinctè ostendit ipsius extremam ingratitude & malitiam, suam verò amoris plenam in illo in peccatis suis tolerando, atque ad pœnitentiam expectando, patientiam, ex quo nascitur dolor intensissima contritionis. Atque ista conveniunt statui *In-  
cipientium.*

*Affectus  
proprii  
status  
Proficien-  
tium.*

Ex hinc ordinariè Dominus noster illum facit reflectere super ea, quæ amore illius ipse pertulit, ac præcipuè super mysteria suæ vitæ, mortis ac passionis, illi inspirans affectus per magnæ erga ipsum teneritudinis, qua ille ratione obligatur ad ubique & in omnibus quærenda media ipsi placendi, atque in omnibus satisfaciendi, imitando admirabiles illius virtutes, atque istud proprium est statui *Profi-  
cientium.*

*Affectus  
proprii  
status  
Perfecto-  
rum.*

Tandem posteaquam anima ipsa jam habitus quarundam acquisivit virtutum, divina Majestas illam altius solet elevare, atque ad cordis sui secretum conducere, ubi illius admirabiles dulcedines aliquatenus valeat degustare. Eo fine aliquos in ipsam suarum divina-  
rum



rum perfectionum radios transfundit, quibus illa tanto accenditur amore, ut fundi ac liquefieri debere videatur, ut Deo incorporetur, atque ista propriè spectant ad statum *Perfectorum*.

Novitii igitur atque *Incipientes* magis debent colere, conservare, & fovere affectus viæ purgativæ, quàm alios, tametsi eminentiores illi sint. Hoc est, communes illorum affectus esse debent. 1. Contritionis ac peccatorum detestationis. 2. Merus malæ mortis. 3. Apprehensionis judiciorum Dei. 4. Pœnitentiam de vita præterita agendi desiderii. 5. Contemptus mundi. 6. Propositi firmi Deo totaliter se addicendi, ut vitia possint impugnare, tentationibus resistere, ac sensus suos mortificare.

*Proficientes* amplius debent immorari affectibus, qui illos inducunt 1. ad habendam teneram erga humanitatem Christi Domini devotionem. 2. Ad perfectam illius aut Beatissimæ Virginis, Sanctorumque imitationem. 3. Ad fugam peccatorum venialium atque etiam levissimarum imperfectionum. 4. Ad perfectam suimetipsum abnegationem, ut etiam in subtilissimis amoris proprii prensationibus se mortificent. 5. Ad solidam atque exactam praxin virtutum, aliaque, quæ ad vitam pertinent illuminativam.

*Perfectis* hic nulla præscribitur regula, hanc enim ipsi ab ipso Deo recipiunt, ubi in suis exercitiis spiritualibus interius à Spiritu sancto moventur ac diriguntur: atque intimi illorum affectus sunt aut totalis amissionis & resignationis suorum in manus Dei, aut simplicis

ac nudæ adhæſionis ad Deum, aut transforma-  
tionis, uniformitatis, Deiformitatis, & ſimi-  
lium, ad quæ nulla ars, nullaque poteſt huma-  
na pervenire industria, tamenſi illa nos poſſit  
ad hunc perfectionis apicem diſponere, ad il-  
lum enim eminentem orationis gradum per il-  
las praxes humiliores, de quibus hic agimus,  
pervenitur.

Nemo tamen perſuadere ſibi debet, affe-  
ctus iſtos cuilibet ex tribus prædictis ſtatibus  
ordinarios, ita eſſe illis proprios, ut illi qui in  
alia via ſunt, illis nunquam poſſint aut debeant  
affici, etenim contingere non rarò ſolet, quod  
Deus animas etiam perfectiſſimas aliquo ſui ti-  
more percellat, & è contra qui vix dum Deo  
ſervire incipiunt, frequenter Dei amore ſic in-  
flammantur, ut credant ſe jamjam perfectè  
illi ac totaliter poſſe uniri. Verùm affectus iſti  
transitorii ſunt, poſtea enim quàm illos quis  
perſenſerit, atque illis etiam pro tunc locum  
dederit, quo ita (ut inferius dicemus) motum  
& attractum Spiritus ſancti ſequatur, ſtatim ad  
viam ſuam ordinariam neceſſe eſt ut revertatur,  
ut ſtatui ſuo conformiter agat.

*Quomodo affectus ſine eliciendi &  
continuandi.*

*Affectu  
contin-  
andorum  
& pro-  
trahendo-  
rum indu-  
ſtria.*

**H**Oc tandem unicum dicendum nobis  
reſtat; videlicet ad continuandos pro-  
trahendosque affectus poſſe nos uti certis qui-  
busdam industriis, illis, quas ſupra pro dila-  
tanda meditatione præſcripſimus, haud abſimi-  
libus: hoc eſt, per conversiones & Apoſtro-  
phas, nunc ad Deum, mox ad Beatiffimam Vir-  
ginem

ginem, Angelum nostrum custodem, aut aliquem sanctum, quandoque etiam ad ipsas creaturas nos convertendo: super omnia tamen faciendo haud infrequentes reflexiones supra nosipsum, ut nosmetipsum de nostris tepidatibus ac negligentis arguamus, atque animas nostras multis rationibus excitemus, animemus atque impellamus, ut se resolvant ad ea, quae meditando cognovimus, strenuè atque indefessè executioni mandanda.

Quoad affectuum producendorum tempus; sunt, qui illos immediatè post quamlibet eliciunt considerationem. Alii usque ad fiduciam omnium considerationum expectant, alii denique affectus simul cum considerationibus conjungunt & quasi æquali gradu producant. Ex tribus his methodis quivis seligere poterit, quæ ei videbitur esse convenientior ac fructuosior. Aliqui enim facilius & commodius affectus statim post considerationes singulas eliciunt, quod etiam reverà videtur esse magis congruum atque Incipientibus magis proprium. Alii plurimas simul rationes & considerationes quasi accumulunt, ut fortius adigant & efficacius impellant voluntatem ad capessendas, quas intendunt, resolutiones. Alii denique hoc sibi experiuntur commodius ac fructuosius, ut uniant intellectum unà cum voluntate, atque omnes suas considerationes habeant affectivas, atque iste modus est maximè proprius illis, qui jam aliquem fecerunt in oratione progressum, aut illis, qui multum se sentiunt à Deo tactos. Inferius ponemus for-

mulas juxta tres illas methodos, ut illæ serviant pro norma & exemplo.

## CAPUT X.

*De aliquibus affectibus generalibus pro qualibet cujusvis generis oratione. Et primò de gratiarum actione.*

**I**Nter quamplurimos affectus, quos in oratione concipere atque elicere potest voluntas, quatuor sunt, quos *generales* appellant & *universales*, eo quod in omnibus illi queant orationibus elici, quacumque demum illæ de materia instituantur. Illi sunt primò Gratiarum actio. 2. Bona proposita. 3. Oblatio & 4. Petitio, de quibus nunc in particulari agemus.

*Definitio gratiarum actionis propriè dicta.*

Gratiarum actio accipitur duobus modis. Primò enim maximè propriè atque in significatione valde stricta accipitur pro quadam animi commotione, qua Deo pro collatis beneficiis gratiarum actiones reddimus. Secundò

*Gratiarum actio sæpè accipitur pro laude.*

in acceptione largiori sumitur pro quibuslibet laudibus, quas Deo persolvimus, sicut exempli gratia quando in Missæ officio canimus: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, id est, benedicimus tibi, laudamus te propter magnam gloriam atque infinitas tuas perfectiones. Et sicut etiam aliquando dixit

*Matth. II. 29.*

Salvator noster: *Consteor tibi Pater, Domine cæli & terre, quia abscondisti hæc à sapienti-*